

*Cartul. de Saint-Corneille de Compiègne. Arch. Nat. LL 1623, p. 559, ch. CCCLIV.*

Cette chartre a été renouvelée en 1209 dans les mêmes termes, sauf les variantes que nous avons indiquées dans les notes.

Id.

*Geoffroy II, évêque de Senlis, notifie l'accord fait entre Jehan de Bez, Lucie sa femme, et l'Eglise de Compiègne, touchant la dîme des Noales de Renauld de Bêthisy, au Petit-Raray.*

1206.

Gaufridus, Dei gratia, Silvanectensis episcopus, presentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Notum facimus tam futuris quam presentibus, quod, cum auctoritate apostolica diu ligitatum fuisset in presentia nostra, inter Ecclesiam Compendiensem et Johannem de Bez, super decima novalium Reginaldi de Bestisiaco, que sunt apud Rarerium, et idem Johannes, pro contumacia sua, vinculis excommunicationis a nobis fuisset astrictus, tandem, ut ipse absolveretur, dicte Ecclesie satisfecit, et compositum est inter eos in hunc modum. Dicta Ecclesia, pro bono pacis, concessit ut decima sua in communi haberetur, sicut alie decime territorii illius, quod territorium extenditur in longum, a strata de Maienpré usque ad mansionem R. de Bestisiaco, et in latum, ex una parte, ab Isara usque ad Noam de Maleparti, ex altera vero, ab eadem Isara usque ad Chauveline Prée. Communio decime, de qua facta est mentio, talis est : Ecclesia jam dicta totalis decime totius territorii tertiam partem ibidem in pace recipit ; due vero relique partes ad grangiam dicti Johannis deferuntur ; et, triturato blado tam decime illius, quam aliarum decimarum, que per famulos Ecclesie et Johannis ad dictam grangiam deportantur, Ecclesia duas partes totius bladi illius recipit, Johannes vero tertiam partem. Concessit etiam Ecclesia, quod si prata vel dumeta, que continentur intra idem territorium, aliquo tempore in culturam redigantur, decima illorum, sicut cetera decime illius territorii, communis habebitur. Johannes vero quamdam terram, que vocatur Noebthier, intra eosdem terminos sitam, quia eam, tam ipse, quam pater suus,

longo tempore, injuste detinuerant, et ab eadem Ecclesia illicite alienata fuerant, eidem Ecclesie reddidit; ita quod ipsa Ecclesia terragium cum dominio in ea plenarie habeat, et decima illius terre, sicut ceterae decimae, communis habeatur. Quitavit etiam dictus Johannes prelibate Ecclesie partem decimae, quam habebat in campo, qui adjacet strate de Manpré, extra dictos terminos, et quidquid juris se habere vel habiturum dicebat in omnibus, tam terris, quam nemoribus, que circumquaque adjacent sepedicto termino. Concessit etiam quod garbe, que de territorio illo vel quibuscumque aliis territoriis per famulos suos et Ecclesie communiter ad grangiam suam adducentur, ut omnis suspicio deleatur, sub certo numero et tallia ibidem recipientur et reddentur. Hanc autem conventionem se firmiter observaturos, tam ipse J. quam Lucia uxor ejus, fide data in manu nostra, firmaverunt. Ut autem hec compositio, inter eos facta, firma et stabilis in posterum permaneat, eam in scriptum redigi et sigillo nostro fecimus confirmari. Actum anno gratie M° CC° VI°.

*Cartul. de Saint-Corneille de Compiègne. Arch. Nat. LL 1623, p. 565, ch. CCCLVII.*

IE.

*Jehan d'Andely, chevalier, reconnaît n'avoir aucun droit sur les marais de Sacy-le-Petit, qui sont entre Bazicourt et Houdencourt.*

1231.

Ego Johannes de Andeliaco, miles, notum facio omnibus presentibus pariter et futuris, quod cum contentio mota fuisset, inter me ex parte una, et viros venerabiles religiosos, Abbatem et conventum Compendien. ex alia, super quadam parte mariscorum de Sacceio Parvo, versus Basincort, quam partem ad me et heredes meos pertinere dicebam; tandem habito cum bonis viris diligenti tractatu et consilio, intellexi et cognovi me; vel heredes meos, nihil juris habere penitus vel domini sive proprietatis in omnibus mariscis Sachei Parvi, qui sunt inter Basincort et Houdencort. Et quia mihi constitit et hoc ipsum recognosco, quod ipsi Abbas et conventus dictus omnes mariscos tenent a domino rege; ne, inter eosdem Abbatem et conventum et me aut heredes meos, aliqua exinde possit de cetero conten-